

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Joachim Lütkemann Benedictus Schemtei

**Iudiciorum Metaphysici Minores Disputatio Quarta De Realitate Essentiae Extra
Existentiem**

Rostochii: Reusnerus, 1638

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729599337>

Druck Freier  Zugang



R u. phil 1638
Joachim Luttkemann
Benedict Schmitz



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn729599337/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729599337/phys_0002)

DFG

+ 22

JUDICII METAPHYSICI
MINORIS
DISPUTATIO QUARTA
DE
REALITATE ESSENTIÆ
EXTRA EXISTEN-
TIA M.

M.
Assistente cœlesti Numine,
Amplissimâ Facultate Philosophicâ consentiente,
In inclytâ Academiâ Rostochiensî
placido Examini subjecta
PRÆSIDE
M. JOACHIMO LUTKEMANNO,
Demminensi Pomerano,
RESPONDENTE
BENEDICTO SCHEMTEI
CASSOVIA-HUNGARO.

In Collegio Unicornis Die 9. Maij
Horū Pomeridianū.



ROSTOCHII,
Literis JOHANNIS REUSNERI,

Anno M. DC. XXXVIII.

1638

DE REALITATE ESSENTIAE EXTRA
EXISTENTIAM.

S. I.

Ens nominaliter sumtum, ab actu & potentia præscindens, Objectum esse Metaphysicæ, in confessu est. Nec absq; ratione: Ens enim in isto statu scibile est per se. Scientia quippe naturas contemplatur; existant nec ne, nihil pensi habet. Hinc Ens definiendum erat, in ista præcisione ab esse potentiali & actuali sumptum. Nobis placuit illa quæ per non existentiam Ens descripsit. Malè id factum, an bene, præsentis est indaginis. Quæritur sc. An Ens in potentia sit Ens simpliciter. Sive: An essentia rerum ante existentiam seu productionem vera sint Entia & realia. Si de solo vocabulo lis est, eadem illi conditio sit cum nummo, valeat in unaquaq; scholâ pro imperio, ut hic in unaquaq; Republica. Sed & tua interest o homo, novisse quid fueris, antequam eras. Poterat hæc controversia reservari ad istum locum, ubi utrumq; Entis statum, actualem & potentialem ex professo tractamus, sed ut salvetur definitio Entis, nec malè hic proponitur, et si & ibi reperies, in judicando quæ te juvare poterunt. Meam sententiam ut in omni ita potissimum in præsenti materia, hac lege propono, ut tibi Lector bene vole liecat abundare in tuo sensu; me non offendes. Eam autem ut meius imbibas, nonnulla prælibanda propino.

S. 2. Prænotamus 1. Objectum omne nostræ cognitioni triplex esse. 1. Quod non existit, nec potest existere: ut aureus Deus. 2. quod non existit, potest tamen existere: ut Raphael, aliquis sc. Angelus qui non existit, nec unquam existet, existere tamen non repugnat: rosa item in hieme, 3. quod actu jam existit: ut Gabriel jam creatus, rosa in vere. Atq; hujus generis cum quædā sunt dependentia, quæ aliquando poterant non esse; unum improductibile & purissim⁹ actus à nullo dependens: Dependētia Entia duplēcē habent considerationē, secundum esse existentia & secundū esse essentia. Vel: quatenus existunt, & quatenus ante productionē nō existunt, existere tamen erant possibilia. In posteriori statu cōsiderata, ad mediā classē

A 2

perti-

pertinent; de quā sola controversia est. Primi enim generis non-Entia esse; & tertij generis esse Entia realia, in propatulo est. Ea quidem, quæ existere non possunt, quatenus ab intellectu per modum Entis concipiuntur, Analogè Ens rationis dicuntur: Vera tamen & realia non sunt, sed in se ficta & non-Entia. De objectis secundi generis dubitatur, an Ens reale dici mereantur. Nos ea, ne ignores, appellabimus *Entia possibilia seu producibilia*; i. e. quæ nondum producta sunt, produci tamen possunt: producantur aliquando, nec ne, nihil ad rem.

s. 3. Observamus 2. quadruplex esse Entium producibilium.

1. **Virtuale**: quod non est aliquid esse ipsius rei, sed causæ: potentia sc. secundum quam res produci potest. Sic omne esse creaturarum dicitur in Deo esse virtualiter sic, uti esse caloris virtuale, est in Sole. Ita esse rosæ virtuale nihil aliud est, quam ipsum esse roseti, quod veris tempore potest producere rosam. 2. **Objectivum**: quod nihil aliud est, quam esse aliquod relatum, vel ad intellectum; & dicitur esse cognitum; vel ad potentiam, & vocatur esse possibile. Ita infinita sunt producibilia, quæ non producuntur actu; quæ omnia Deus & cognoscit, & producere valet. 3. **Esse Essentiæ**, quod objectivi est terminus fundamentalis. Nam esse objectivum, dicit aliquā relationem transcendentalē, quæ fundatur in aliquo termino, Ente vel non-Ente. Id igitur, quod istam relationem fundat ad potentiam Dei productivam & ad cognitionem divinam, esse essentiæ appellamus. 4. **Esse existentiæ**, est id quod acquiritur demum per existentiam. *Esse creaturarum virtuale* est ipsa æterna Dei essentia. *Esse objectivum*, quatenus est quid in ipsa Dei potentia, non differt ab esse virtuali: quatenus est quid in divino intellectu, rursus est essentia Dei æterna, quatenus repræsentatione quadam ea continet res omnes. Cujus ratione illud *esse objectivum*, Ideale etiam dicitur, quia in intellectu divino cognoscente omnia producibilia sunt secundum ideas: quæ cum sint in Deo, non possunt esse nisi Deus. O infinitas pulchritudinis divina! Quid aspectu jucundum est in mundo, quid gustatu dulce? quid auditu suave? quod non in Deo sit suavius, dulcior, jucundius? Felix cui id essentiarum pelagus

Iagus iustrare dabitur. Ad viam. *Quatenus esse objectivum consideratur ut alignid extra Deum* est relatio rē esse essentiæ ad intellectum divinum. *Quomodo igitur esse producibilium virtuale & objectivum realiter æternum sit constat.* Esse existentiæ creaturarum æternum dicet nemo, nisi cui delirare volupe est cum antiquorum Ethnicorū nonnullis, qui mundum ab æterno fuisse, contenderunt. De esse essentiæ controversia manet, an ab æterno id Ens reale fuerit. Id autem esse essentiæ quid sit, melius ut intelligas, nota; *potentia & objectiva*, quæ est potentia rei ad existendum, *duplicem esse terminum*; prior est ipsum Ens possibile, quod se habet ut objectum potentiae productivæ: alter est existentia actualis extra causas. Ens illud possibile, ipsa rei essentia, seu ipsum esse essentiæ est conceptus objectivus, qui responderet conceptui meo formalī, & est, quamvis objectum non existat, imo etiam si nemo sit qui eum formaliter concipiatur. e.g. Si hominem concipio sub ratione animalis rationalis; hæc ratio sive natura animalis rationalis, quæ id, quod est, sine meo conceptu est, & eam quam habet naturam, etiam nemine cogitante habet; est & manebit in natura, si actu nullus homo in mundo existeret, & dicitur essentia hominis. Et hæc essentia rei ante productionem, nequicquam differt ab essentia rei post productionem. Non enim sunt duæ res sed una. De hac inquam essentia quæstio est, non ut idealiter est in Deo, sed ut est objectivæ extra Deum, ante creationem; Ens ne sit, an non-Ens.

S. 4. Prænotamus; *Quoad prædicatum, reale accipi duplicer.* 1. Ut distinguitur contra Ens rationis, quod suum esse habet a fabricatione intellectus. 2. ut distinguitur contra non existens actu, quo sensu idem est cum actuali. In hac controversia sumitur priori sensu; ita ut cum quereras, an Ens potentiale sit reale; idem sit ac si quereras, an sit positivum quid extra mentis operationem, an vero citra mentis operationem omnino nihil, sive non-Ens. Rursus reale, ut opponitur ficto, aliquid dicitur vel in se, per denominationem intrinsecam; vel ob respectum ad aliud, per denominationem extrinsecam. In præsenti controversia queritur: num esse essentiæ Entis potentialis realitatem in se habeat.

A

5.5. His

1. S. 5. His premissis, quid nos, quid alij statuant, proponimus.
1. Sunt qui volunt Essentiam, prescisam ab existentia, propriam realitatem non habere, sed habere realitatem suam tantum per existentiam. 2. Sunt qui admittunt essentiam habere propriam realitatem, negantes existentiam esse id ipsum, per quod essentia formaliter dicitur realis. Addint autem, quod realitas non competat essentiae antequam existat. Atq; hi in hoc convenient, quod Ens potentiale non dicat, statum aut modum positivum Entis, sed quod preter denominationem extrinsecam, desumtam a potentia agentis, nihil dicat quam negationem. i. e. non existentiam i. e. Ens potentiale non habere realitatem, nisi in causa suis: Et denominari potentiale denominatione extrinseca a causa; quod latet vel in potentia efficienti, dum datur aliqua virtus, quae id actuare possit, quod nunc nondum est; vel in potentia materie, dum hanc capax est ad recipiendam futuri Entis formam, ut cum semen hominis dicitur potentia homo: vel dum in sua virtute futurum Ens contineat, ut virtis uyas in hieme. Quicquid horum Scotus, quicquid Thomas proponat, nos no movebit. Nobis propositum est, sequi natura. Sit itaq; nostra sententia: *Esse essentia Entis producibilis habet realitatem propriam non tautum in suis causis, sed in se etiam distinctum quid a sua causa.* Adeoque essentia rerum recte dicuntur aeterna. Quo ipso tamen non diffiteor, comparatione facta ad Ens actu, Ens in potentia aliquo modo non-Ens dici; sicut & creature, comparatae ad Deum non vere Entia dici merentur, quanvis ob id non audiant vere non Entia.

1. S. 6. Percepisti sententiam, perpende rationes. 1. *apropositionibus aeterna veritatibus:* quales sunt; homo est risibilis, canis est animal. Animal est corpus sensitivum. Haec non possunt esse ver*a*, nisi dicant aliquid reale. Nam quod non est Ens, id nec risibile, nec animal, nec corpus, nec sensitivum erit. *Exceptio.* Veritas aeterna propositionum non denotat realem essentiam extermorum; sed extermorum duntaxat connexionem necessariam, fundatam, non in esse reali, sed potentiali. Et nihil aliud dicit ante existentiam terminorum, quam hoc vel illud isti rei necessarium esse quando erit. E. g. Veritas hujus propositionis: homo est risibilis, non in hoc consistit, quod homo nunc sit vera essentia.

essentia, risibilitate praedita; sed quod in natura non possit esse nisi sit talis. Atq; ita veritas illa, intelligi potest absq; vero & reali esse essentia. Quo pertinet quod Thomas ait. i. p. quest. 10. art. 3. ad tertium: Ab æterno non fuisse veritatem in illis propositionibus, nisi quatenus erant objective in mente diuinæ: subjective autem sive realiter in se non fuisse. Resp. Veritas propositionum æterna, hoc ipso quod denotare dicitur necessariam terminorum connexionem, fundatam in esse potentiali, seu possibili, denotat simul realem extremorū essentiam. Ecce enim Syllogismus:
Quodcumq; non est Ens non est Animal: quia omne animal Ens est.
Homo ante productionem per te non est Ens. E.
Homo ante productionem per te non est animal En. quod æternæ veritatis est, à te falsitatis arguitur.

Sed prævideo te regerentem, necessitatem, & veritatem istarum propositionum non esse absolutam, sed conditionatam, si sc. res est producta. **R.** Esse animal est prædicatum ita essentiale homini, ut in æternum falsa sit hæc propositio: Homo non est animal. Falsa inquam est absolute & in æternum, etiamsi nullus unquam homo extiterit. Finge saltem conceptum hominis absq; conceptu animalis, erit homo sine sensu, sine motu, sine ratione, i. e. homo non homo. Falsa itaq; & hæc erit, etiam cum nullus homo existit: homo non est Ens. Dices: Homo ante productionem, qualis est homo, tale etiam est animal, tale quoq; Ens: puta potentiale. Resp. Id ego non nego; sed quod potentiale esse, realitatē essentiae ita destruat, ut defloratum esse, virginitatem cum prædicatur de virgine, id nunquam concedo.

S. 7. Cum hoc argumento eandem vim obtinet, illud ab ordine prædicamentorum desumtum: Entia enim sunt sub certo prædicamento, Substantia vel Accidentis, sive existant sive non; Id quod nec diffidetur Scheibl. l. 1. Met. c. 14. n. 98. nec repugnabit ullus aliis. Quod igitur vere vel substantia vel accidens, id etiam verum Ens; & quod non verum Ens, id nec substantia nec accidens. Nec quicquam promoveberis si dices: Ens potentiale ponit in prædicamento certo, eo quod esset in hoc vel illo prædicamento, si esset. Nihil inquam promoveberis: Nam rosa in bieme, ut ad speciale descendat, aut vere est in prædicamento

aut

aut non; si non est, nec definietur, nec ejus scientia dabitur.
Edatur fac tractatus de rosa in vere, & definiatur inibi rosa per Substantiam; Hic tuus tractatus non diutius veritatem tenebit quam ver durabit. Circa hiemem autem illa veritas una cum rosa, eiconis, & hirundinibus se abscondet. Assuefaciendi etiam pueri in scholis erunt ut interrogati, rosa in quo sit praedicaento noverint distinguiere tempora. Si autem rosa in hyeme vere est in praedicamento, vere etiam est vel Substantia vel Accidens: vere etiam Ens est.

§. 8. ii. *Acognitione & scientia divina*: Non quidem ita.: Quodcumque ab aeterno a Deo cognoscitur, id ab aeterno est. *Essē essentiæ ab aeterno a Deo cognoscitur*. E. *Essē essentiæ ab aeterno est*. Nam & nos non sumus tam inconsiderati, ut fundamenti loco ponamus, id quod falsissimum est. Deus enim ab aeterno non minus cognovit Creaturarum esse existentias, quam esse essentiæ, cum tamen creaturarum esse existentias ab aeterno fuisse nemo nisi insanus dicat. Hunc autem sequentem nostrum agnoscimus:

Omne objectum contemplationis divine producibile est verum

Ens & minimè non-Ens :

Omnis essentia nondum existens est objectum contemplationis
Divinae producibile. E.

Omnis Essentia nondum existens est Ens, & minimè non-Ens.

Majorem probamus (i.) Quia illud objectum contemplationis divinae producibile, aut est Deus, aut aliquid a Deo distinctum. Non est ipse Deus: quia aliud est cognoscens, aliud cognitum. Neq; enim cum e. g. gemma in aeternitate fundat relationem ad Deum scientem, secundum verum esse scientiae; *Intellectio Dei* in aeternitate gemmam cognoscentis est reflexa, qua Deus seipsum cognoscit; sed *directa & terminativa*, qua cognitione divina terminatur per aliud. Deus quidem se ipsum intuendo, cognoscit optimè suam potentiam adeoq; omnia possibilia in seipso, adeoq; fons omniscientiae est in Deo; nihilominus id in quo terminatur ista scientia, ipsum sc. objectum producibile est aliquid a Deo distinctum. Jam illud ipsum objectum, in quo terminatur contemplatio Dei, quid est Ens an non-Ens? Num

non-

non-Ens? Ergone Deus res possibles ab æterno contemplatus, cum aliquas non actuare, alias actuare decrevit, easq; ordinavit, dispositus, circa mera non-Entia occupatus fuit? Erunt itaq; Entia. *Dices*: Ens possibile e. g. gemma in æternitate fundat relationem ad Deum scientem, secundum esse aliquid reale, non quod adhuc jam habet, sed quod habere potest. Respond. Sed quid si Deus non produxisset gemmam, aut etiam nullam omnino rem? (ille enim ut sibi ipse sufficiens creaturis nō eguit) num Deus cum meritis non Entibus conflicitatus fuisset? Sed de hac instantia paulò post accuratius tecum agam. Accedo ad probationem majoris secundam. Si Deus contemplatus fuisset hominem creandum ut non-Ens; & postmodum eandem essentiam humanam, ut Ens: insignis deprehenderetur, non dicam enormitas in normâ primâ & universalissimâ, sed imbecillitas in cognitione divina. Qui enim in contemplatione ab homine removet Entitatem; is removet simul esse substantiæ corporis, animalis, & omnis omnino quod est hominis. *Exceptio*. Eadem via etiam probatur objectum cognitionis divinæ producibile esse Ens existens, quia Deus non aliter præcognoscit creature faciendas, quam cognoscit factas: i. e. secundum esse existentias. Resp. Nullo modo id concludi. Nam si Deus ab æterno esse gemmæ considerat ut non existens, nulla oritur enoimitas in norma ad normatum, quæ demum tunc orietur si id considereret ut existens. Contrarium est si considerat illud ipsum esse ut non-Ens. Neq; enim existentia ita est essentialie prædicatu ut essentia. Quod autē dicitur Deum ita considerare creature faciendas ut factas adeoq; ut existentes: id verum est ratione Dei præscientis futura ut præsentia: non ratione rerum, ac si jam habeant, quod Deus habituras prævidit. i.e. cum omnia Deo sint præsencia sive futura sive præterita (Nam in Deo non est futurum & præteritum) etiam cognitioni Dei æternæ semper præsens fuit existentia Adami: sed recedendo ab æterno isto intuitu divino, ad objecta terminantia quæ extra Deum, Deus essentiam Adami non cognovit ut existentem. Deus prævidit existentiam Adami: Conceptus tamen divinus non fuit: Adam existit; fuit

B autem

autem hic: Adam est Ens: id enim & tunc verum fuit quamvis Entitas illa nondum extiterit. Quod ut melius intelligas, finge aliquam creaturam ab eterno fuisse creatam, id quod non est impossibile, illius esse existentia esset objectum cognitionis divinae non tantum in praesentia praesens, sed etiam praesens in re; quo modo non praesens est esse existentia rerum creandarum vel saltem creari possibilium. Dices: Eadem plane ratione essentia quae est in creatura existente est objectum praesens & in scientia divina & in re; essentia autem ante existentiam in re non est objectum praesens sed futurum. Responsonem apodicticam videbis inferius; nunc saltem illud inculco; essentiam Adami non posse ita divelli a conceptu Adami, ut existentia: cuius rationem hic adducere, occupavimus. Sequitur majoris probatio tertia. Scientia Dei contemplantis Entia producibilia est realis. E. & objecta realia. Novi equidem distinctionem Scholasticorum inter objectum scientiae divinae movens, seu primarium, & terminativum, seu secundarium. Objectum movens & primarium est ipsa essentia divina; terminativa & secundaria sunt res creandas: quia haec secundum Scholasticos non movent intellectum divinum ad cognitionem sui, licet illum terminent. Specificatio autem intellectonis, aiunt, sumitur ab objecto non terminativo, sed movente & primario. Et quidem facile admitto istam distinctionem hoc sensu, quod Deus in se ipso videat suam potentiam, adeoq; omnia possibilia, adeoq; principium omnisciencie esse in ipsa divina essentia; ipsas autem essentias esse objectum quod terminet scientiam, cum scientia relationem dicat ad scibile. Id autem quod terminare possint aliquam scientiam, non habere putandum est per aliquam dependentiam, sed habent in se, etiam si per impossibile nullus omnino intellectus esset. Ut ut sit, realitas scientiae sumitur potissimum ab objecto terminativo. Alioquin etiam Entium rationis realis daretur scientia: quia objectum movens, ut terminum retineam, phantasma sc. est aliquid reale.

s. 9. Difficillimum quod proposito argumento à cognitione divina obstat, nunc tandem studiosè removendum erit. Est autem

autem quod distingvi potest inter Ens in statu sumtu, & Ens sumtu in ampliatione. Majorem concedi de Ente in ampliatione non in statu. i. e. Omne objectum contemplationis divinae producibile esse verum Ens, non in statu, quasi nunc ante productionem sit Ens; sed in ampliatione, quod scil. Ens sit post productionem: quod Ens sit possibile, i. e. quod nunc non sit Ens, possit autem esse Ens. Resp. Propositionem veram esse in statu, à fortiori demonstratur per ea Entia quae nunquam actu producuntur. Negari enim nequit, Deum multa posse producere, quae nec pr oduxit nec producet nunquam. e. g. speciem aliquam novam. Negari porrò nequit, istius speciei ideam esse in Deo, utpote in pelago essentiarum infinito. Nunc colligo: ista nova species (nunquam producenda respondens ideæ divinæ) aut Ens est (in statu) aut non-Ens. Si prius habeo quod volo. Si posterius. Idea istius speciei falsa est, quia in Deo idealiter ista species est Ens; objectivæ extra Deum non-Ens. Imò infinita non-Entia hac ratione in Deo darentur idealiter; & quæ est idea Entium fieret idea non-Entium. Et rursus, quæ ab æterno meræ ideæ non-Entium, post creationem fierent ideæ Entium. Hæc omnia absurdæ. Potuit itaq; Deus ab æterno aliquid considerare ut existens futurum, i. e. ut rem nunc non existentem, quæ autem possit existere; non autem potest considerare ut Ens futurum, id est, quod nunc non est Ens, potuit tamen esse Ens. Quia potest quidem aliquid considerari ut existens & non existens, sed non ut Ens & non-Ens. Dices: Illud reale quod respondeat ideis divinis est ipsum esse virtuale. Resp. Esse virtuale nihil differt ab ipsis ideis. Deinde id ipsum esse virtuale non potest salvam tenere suam realitatem, nisi aliquid reale respiciat.

s. 10. Argumento à cognitione diuina affine est illud à scientiâ humana.

IV.

Omne objectum scientia realis est reale.

Ens potentiale est objectum scientia realis. Scientia enim non attendit rei vel existentiam vel non existentiam; modo res objecta sit reale aliquod. Hinc & non nullus cum laude scriptis, de dente aureo. E.

Ens potentiale est reale.

B 2

Dices

Dices: Omne objectum scientiæ realis est reale, realitate vel vera & præsente, vel possibili & futurâ. Resp. Realitas futura non datur in mundo, quia realitas essentiarum est æterna & independens. Realitas possibilis est vera realitas. Nam si non est vera, nec parit scientiam verè realem. Rectius ergo ita limatur nostra propositio. Omne objectum scientiæ realis est reale, realitate vel actuali, vel potentiali, quod nos libenter concedimus, addendo tamen, potentialem realitatem esse veram realitatem, non fictam. Argumentum dum ducimus à scientia humana, nec hoc præteribimus, quod diversæ semper in scientijs sint quæstiones; *An sit*, & *quid sit*. Diversæ inquam non ratione, sed re ipsa. Unde nonnunquam, negatâ rei existentiâ tractatur & investigatur ejus quidditas. Habet itaq; quidditatem sine existentiâ.

S. II. Adducimus novum & III. à veritate rerum independentem.

Quidquid est æternum & independens, illud est ante actualē productionem.

Veritas & realitas rerum est æterna & independens. E.

Veritas & realitas rerum est ante actualē productionem.

Minor probatur inde, quod veritas & realitas rerum antecedat & efficientiam & scientiam omnem.

Quicquid in se & per se jam determinatum, antecedit omnem efficientiam & scientiam, non dependet à determinatione aliâ.

Veritas & realitas rerum, in se & per se jam est determinata, & antecedit omnem efficientiam & scientiam. E.

Veritas & realitas rerum non dependet à determinatione aliâ, adeoque æterna est & independens.

Probamus minorem. Veritas & realitas essentiæ e.g. humanæ, aut est determinata in & à se, aut à Deo. Si à Deo, in se v. indeterminata, tunc penes Dei libertatem fuit aliter determinare essentiam hominum.

hominis, alia prædicata essentialia homini tribuere. Fac jācreas.
se hominem irrationalem, creasset hominem non hominem.

Nam.

Omnis homo est animal rationale.

Homo tuus fictius non est animal rationale. E.

Homo tuus fictius non est homo.

Essentia itaq; hominis in se & à se jam est determinata antecedens omnem efficientiam & scientiam. Possibilitas enim & veritas non causatur ab intellectu divino, sed res possibiles & veræ sunt seipsis. Impossibilitas enim & veritas rerum esset, etiamsi per impossibile nulla esset vel potentia, quæ eam posset actuare, vel intellectus qui cognosceret eam. Non obstante quod potentiale respectum dicit ad potentiam, ut scibile ad scientiam. Neq; enim necesse est, ut possibili, actualis respondat potentia; aut scibili, actualis scientia. Quod ut rectius intelligatur, demittimus nos ad possibile & potentiam naturalem. Multa in naturâ latent naturaliter effici possibilia, quibus non respondet actualis potentia in natura. Ex pluribus unum recitabo ex Josepho Quercitano, qui in defensione Hermeticæ discipline c. 23. scribit, sibi Polonum quandam Medicum Cracoviensem fuisse cognitum, qui ē plantis nonnullis & herbis, peculiari arte subtilissimos cineres paraverat, & singulos vitreis vasculis singulis accurate indiderat; uni, rosa cineres; alteri, papaveris; &c. Mox igni modici colorū admoto, ē cineribus quasi revocaverit speciem plantæ, cuius isti erant cineres, partibus suis omnibus absolutam: quæ tamen remoto calore, in cineres sic relapsa. Hic effectus salvam tenet suam possibilitatem naturalem, si maximè nulla potentia naturalis existat in mundo, quæ eam possit actuare. Eodem modo omnis omnino rerum possilitas antecedit omnem potentiam. Hinc prima ratio cur homo non repugnet esse, quærenda est in essentia hominis; & quod chymæra repugnet esse; in ipso conceptu chymæræ; non in potentia Dei. Hinc Philosophi maluerunt dicere, chymaram non posse produci, quam Deum non posse producere chymaram; ut sc. causa non quæratur in Deo sed in objecto, quod repugnantiam involvit. Ita contrà, quærenti, cur gemma verè possit produci, respondendum propriè est, quia gemma est talis essentia sive quidditas, cui non repugnat existere. Hic ut &

B 3

hoc

hoc obiter addā, vel cācus videt hominē ab æternō, non ita esse nihil, ut chymæra. Ponunt alij tale discrimē: Nihilicitas seu negatio ista, quæ inest homini in æternitate, est negatio actus, non negatio causæ quæ potest ponere rem in esse: in chymæra autem est negatio & actus & causæ: interim convenire in hoc dicunt, quod utrumq; sit nihil seu non Ens. Verū quod negatio a&t; Entis tollat veritatem id est, quod in tota disputatione oppugnavimus. Quantum verò ad præfens argumentum, nos arripimus tantum id, quod in confessō est, hominem ab æterno non esse nihil, negatione causæ, quod sc. detur causa quæ eum possit a&tuare, quali destituitur chymæra; & querimus. Unde sit quod homo non sit nihil negatione causæ; quomodo chymæra verè nihil est seu non-Ens. Ostendimus autem primam eius rei causam querendam esse in ipsis conceptibus sive objectis. Ita patet quomodo possibilitas rerum, veritas & realitas antecedat efficientiam. Quod antecedat scientiam similiter facile intelligitur. Deus quidem penitissimè potentias omnium causarum suamq; ipsius cognitam habet: Et sic essentia divina est principale objectum movens cognitionem: Nihilominus Entia potentialia, quæ tandem cognitionem terminant, habent suam quidditatem & veritatem essentialē antecedentem istā cognitionem: Et ista quidditas & essentialis veritas ita intrinseca est rebus, ut eā Res haberent, etiā si nullus intellectus esset in mundo. Quod adeo verum est, ut etiam intellectus divinus verus dicatur inde quod naturis & quidditatibus summè sit conformis. Reducendo autem essentiam seu quidditatem e. g. gemmæ ad principium extrinsecum; intellectus divinus est norma t̄s esse gemmæ, & propter convenientiam cum divino intellectu, gemma quæ ab æterno vera fuit, deprehenditur esse vera: Quia intellectus divinus veritates omnes infallibiliter comprehendit. Sed hoc ipso quod intellectus divinus comprehendit rerum veritates, etiam illarum, quæ nunquam actuantur datur veritas, quæ est aliquid à Deo formaliter. Ita probavimus veritatum æternitatem atq; prioritatem, quam habent ante omnem & efficientiam & scientiam; nunc z. eandem probamus à duratione.

Quicquid remoto influxu divino remanet, non dependet à Deo.
Veritas & realitas rerum remanet. E. Non dependet.

Minorem non negabis, modo cogites, quod si Deus tollat totum genus caninum, existentiam quidem tollat, non veritatem, quidditatem & essentiam. Imo si omne animal sublatum esset ē mundo, ratio tamen animalitatis, non sublata esset, quippe quæ adhuc realem fundaret scientiam.

§. 12. Additamenti loco adjungo prioribus IV. ab Entium gradibus. Essentiarum enim gradus & inæqualitas dependet non ab existentia, sed ab ipsa essentia. Jam:

Omne fundamentum graduum essentia est Ens verum & reale. Quodcumq; enim non est Ens, non potest habere aut fundare gradus Entis.

Essentia præcisa ab existentia est fundamentum graduum Entis. E.

Essentia præcisa ab existentia est Ens verum & reale.

Excipit Martinus Meurisse *Metaph.* l. 1. q. 15. §. ad id autem diversitatem graduum quidem peti ab esse essentiæ; gradus autem istos diversos nec dicere nec facere realitatem nisi beneficio existentiæ, per quam sunt actu. Adeoq; reducendo hanc responcionem ad formam, limitanda erit major. *Gradus* enim sunt vel *potentiales* vel *reales*. De gradibus realibus verum est quod illorum fundamentum sit Ens reale; de potentialibus id est falsum. Resp. Reale i. idem est quod actuale. Et tunc distinctio bona est; adeoq; falsa major hoc sensu: Omne fundamentum graduum potentialium est Ens reale i. e. actuale. 2. Reale idem est quod non fictum, ut nos terminum accipimus. §. 4. Et sic est vitiosa oppositio realis & potentialis, cum quod potentiale id ipsum etiam sit reale.

§. 13. Atq; hæ sunt illæ rationes, quibus commoti adhuc tenemus esse essentiæ extra existentiam esse verum Ens & reale; non aliquid diminutum, ut nonnullis loqui placet, quia essentia ita non diminuitur. Indignum quidem est homine Philosopho authoritatibus plus moveri, quam rationibus, ad declinandum tameu invidiam, memineris non paucos esse in Philosophia claros, quos nos imitati, Ens definitivius id esse, non tan-

tantum quod existat, sed cui existere non repugnat. Perpende
quod etiam Scheibl. l. i. Metaph. c. 2. n. 17. Subjectum Metaphy-
sicum Ens nominale statuat, quod ut sic sumtum ab actu essendi
præscindit. Si id verum est, quo jure Ens potentiale verum
Ens esse negabitur, cum veritas sit affectio Entis Metaphysici.
Audiatur Corn. Mart. p. 117. cum inculcat discrimen Entis nomi-
nalis & participialis: Nominale describit quod significet non
existentiam, sed potius essentiam rei quæ vel habeat vel habere
possit esse, non ut exercitum actu, sed in potentia, vel aptitu-
dine. Et addit, hanc distinctionem propterea diligenter ob-
servandam esse, ut eius ope inter essentiam & existentiam di-
ligenter distingvere discamus, cum non solum illa, quæ sunt in
actu essendi, quæ suum esse jam possident, sive quæ jam existunt,
dicantur Entia; sed etiam illa quæ in natura sua & essentia con-
siderantur, sive existant, sive non. Hi sane his locis idem di-
cunt quod ego, quicquid etiam aiant, de potentia objectiva
quando disputant.

S. 14. Argumenta huic nostræ sententiæ inimica numero
non pauca sunt; neq; enim qui contradicunt, pauci. Præcipua
enodabimus I. Quod maxime urget Mendoza; est desumtum ex
vi vocis potentia & potentialis: Quodcumq; enim dicitur po-
tentia tale, id simpliciter non est tale. Potentia enim negat
actum, & super negationem addit affirmationem possibilatis:
ut Doctus in potentia dicitur, qui realiter non est doctus, potest
tamen esse doctus. Ens igitur cum potentiale dicitur, hoc ipso
Ens esse negatur. Resp. Potentia negat quidem actum, sed non
eodem semper modo. Potentia enim negat vel subjectum ipsum
vel aliquid subjecti; subjectum; ut cum existentia dicitur in po-
tentia, denotatur enim aliquid quod non existit, potest tamen
existere: Aliquid subjecti, ut homo doctus in potentia; ubi po-
tentia non negat ipsum hominem, sed aliquid hominis, puta
doctrinam. Ita cum Ens dicimus potentiale seu in potentia,
potentia non negat essentiam, sed aliquid essentia, puta exi-
istentiam. Dicitur enim Ens potentiale respectu non essentia,
sed existentia. Neq; enim accurate loquendo quicquam est in
poten-

potentia ad seipsum. Et inter duos conceptus distinctos, illius
soli respectu res potentialis dicitur, cuius est actualis negatio.
Instas: Ens in potentia; homo e.g. producendus in quidditativo
suo conceptu, ratione essentiae aut est in potentia, aut actu, ita sc.
ut existentia solum dicatur in potentia. Si prius: res salva est. Si
enim homo producendus in potentia esse dicitur ad es-
sentiam, hoc ipso nondum habet essentiam. Si posterius.
E. Aliquid existet, antequam existit. Quod enim actu est,
id existens est. Respond. Actus & potentia dicuntur respectu
existentiae. Adeoq; Ens in potentia ratione essentiae nec potest
dici potentiam, nec actu. Sed ut aliquid tibi largiar, arbitror non
absurde Ens in potentia dici posse actu, si usus id admitteret. Nam
actus vel immediate opponitur potentiae, & contradictrice vel me-
diante & quasi contrarie. Priori modo, ut potentia dicit, rem non
esse id quod dicitur, actus ait rem non non esse, sed omnino esse
id quod dicitur: Atq; nihil aliud est quam negatio fictionis, pote-
rat vocari actu essendi. Hoc sensu, si essentia Raphaelis producen-
da diceretur actu esse essentia; nihil aliud diceretur, quā essentia
& quidditatem Raphaelis non esse fictam. Si actus contrarie op-
ponitur potentiae, præter negationem potentiae ponit etiam
contrarium, existentiam. Contraria autem admittunt medium.
Hinc inter actu existendi, & potentiam existendi, dilatando distin-
ctionem ultra respectum ad existentiam, datur tertium, actus pu-
ta essendi vel ut receptu termino utar, actu entitativus. In forma
itaq; ad instantiam: Homo non est in potentia essendi. E. actu: con-
cedo de actu essendi seu entitativo, de actu existentiae nego. Ibi
enim datur tertium. *Dices*. Actus & existentia est unum idemque.
Resp. Negando ob datam distinctionem. Essentia est subiectum
existentiae, & potentiae ad existendum, quæ est aliqua privatio exi-
gentiae: Et potest consistere cum utraq; ut aer cum tenebris &
luce. *Quamdiu* itaq; essentia separata est à sua existentia, manet
adhuc essentia, i.e. tenet actu entitativum, sed istum actu non
tenet actu. Huic actu Entitativo, qui etiam actu essendi primus
dici potest, opponi potest actu essendi ultimus, sicut & Corn.
Mart. p. 117. existentiam rei describit peractum essendi ultimum.
Sed hæc melius ex doctrina de actu & potentia intelliges.

§. 15. II. Omne Ens aut est productum aut improductum. Si productum, est quoq; existens. Quia productio est existentia. Si improductum, Est Deus: jam

Omnis Ens improductum, aeternum & independens est Deus.
Esse essentia creaturarum per se est improductum, aeternum &
independens. E.

Esse essentia creaturarum est Deus: Adeoq; infiniti dantur
Dij; quod impium & blasphemum.

¶. Non omne quod dependens dicitur, statim Deus est:
Johannes enim est independens à Paulo, & substantia independens ab Accidente. Independentia autem quæ Dei est propria, dicitur ratione existentia. Conceptus creaturarum quidditatis, qui ipsa essentia est, præscindit ab existere & non existere. Solius Dei esse est ipsum existere, adeoq; solus est independens in esse. Ita æternitas ut est duratio sine & principio carens, non est attributum Dei proprium, quia creaturam aliquam ab æterno in aeternum existere nihil impedit. Longè aliter solus Deus æternus dicitur. Est enim æternitas, ut est Dei attributum proprium, iuxta Boetium, tota simul & perfecta vita interminabilis possessio. Atq; complectitur præter indefinitibilitatem, perpetuum aliquod hodie, ubi non est futurum & præteritum. Quia quidem ratione absit, ut quicquam præter Deum dicamus æternum. Dices. Aeternitas itaq; per nos erit affectio Entis. R. Est affectio Entis possibilis, non Entis simpliciter. Ens enim ut est subjectum Metaphysices præscindit ab esse actu & potentia; quod autem rei in precione competit, membris subjectis non debet repugnare. Entibus autem actualibus non competit æternitas. Nec Enti simpliciter.

§. 16. III. Hac stante sententia, nulla creatura est creata, neque illa potest annihilari. Essentia enim iuxta nos per creationem non producitur, sed supponitur; & per interitum non annihilatur, ut enim producitur creatura, ita & abit in suā essentiam. Creatio autē est rei productio ex nihilo: Annihilatio cōversio in nihil. Ut non dicā vitiosè definiri, creationē per productionem rei ex nihilo: Anne enim creationis esset, si Deus ex lapidibus Abraham

mo

mo filios excitaret? Recius vocabis eam constitutionem Entis
(participialiter sumti) sine naturali dependentia ad materiam. Ut
de his inquam nihil dicam, adhuc salvâ nostrâ thesi, creatio est
progressus à non esse actuali, ad esse actuale; quod & per anni-
hilationem amittit.

s. 17. Affine huic argumento est illud à generatione deductum:

*Id à quo fit transitus in generatione; est non Ens; Ut patet
ex definitione generationis.*

*Ens in potentia est id à quo fit transitus in generatione. E.
Ens in potentia est non Ens.*

s. In Ente potentiali aliquid est Entis, aliquid non Entis. Entis est
ipsa essentia, natura seu quidditas; non-Entis est negatio actus.
Id igitur à quo fit transitus in generatione, si non-Ens esse dici-
tur, secundum se totum; falsum dicitur: si intelligitur, secundum
illū respectū non-Ens esse, secundū quem mutatur; verū est quod
dicitur; quis autem ille respectus sit, cum jam ipse videas, ego
nihil addo.

s. 18. Illud quoq; obstat videtur, quod secundum nostram
definitionem, Ens sit cui non repugnat existere. Jam naturæ de-
structæ individuæ, hujus sc. canis, albedinis &c. repugnat rursus
existere. Non igitur natura & essentia extra existentiam Ens dici-
merebitur. s. Illa natura individua aut potest rursus reproduci,
aut nō potest. Si non potest, nos eam Ens esse, non pugnabimus;
si potest, ut quidē nos arbitramur, cum Deus sit individuationis
principium; Entis nomen isti naturæ non denegabimus.

s. 19. Plura adduci possent, quæ adducere omnia, nihil atti-
net. Illud in Coronide saltem declinabimus, quod bilem forsitan
aliquin non malitiosi in nos excitare posset. Si enim esse homi-
nis ante productionem Ens reale, æternum & independens sta-
tuitur, multum pietati derogari videtur, eveni quod nihil est, &
Christianam humilitatem destrui. Sed & hoc: perpendas velim,
humilitatem Christianam ad sui tutelam non indi-
gere mendacio. Vilitas hominis non in hoc consistit,
quod esse humanum ita à voluntate creatoris dependeat, ut
sive reale sive brutalem assequatur naturam, tamen verus creetur
homo; hoc Lector prudens vides etiam me non monente; Vili-
tatis

fatis tuis longè alia fundamenta sunt. Naturæ tuis ab æternis non repugnabat quidem existentia, penes Deum tamen in solidum est, hanc illi dare, & denegare; tollere & servare. Theologus est affere, doce, defende; nostrum esse nihil omnino fuisse, ante quam fuimus; & nunc postquam sumus, si Deum esse cogitamus, humiliis cordis esse, dicere, Deum esse omnia, nos nihil. Philosophus es? Essentiam Entis potentialis non-Ens dicere non potes, nisi simul omnem omnino naturam universalem ex Entium classe deturbes. Sic sentio, salvâ aliorum sententia.

Ad Praestantissimum & Literacissimum Virum Juvenem
BENEDICTUM SEMTEI Hungarum Dispu-
tantem de Realitate essentie extra
existentiam.


ANAGRAMMA

*Benedictus Semtei
Tuitem benè disces.*

ἘΚΘΕΣΙΣ:

Hungara quotquot adhuc tellus permisit in orbe
Germano, Clarij, dulcia castra sequi,
Hi didicere bonas Artes benè, pluribus istud
Exemplis dictum clarius esse queat.
TU quoq; præsens ut dictare auagramma videtur
Pol benè item disces quæ *Mētālō Phōtikā*.

P E T R U S M E D E V I L S
Saxo-Transyl. M. P. P. L.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn729599337/phys_0023](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729599337/phys_0023)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn729599337/phys_0024](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729599337/phys_0024)

DFG

mo filios excitaret? Recius vocabis eam co-
(participialiter sumti) sine naturali dependen-
de his inquam nihil dicam, adhuc salvâ nostrâ
progressus à non esse actuali, ad esse actuale;
hilationem amittit.

S. 17. Affine huic argumento est illud à gene-
Id à quo fit transitus in generatione; est
ex definitione generationis.

Ens in potentia est id à quo fit transitus in
Ens in potentia est non-Ens.

S. In Ente potentiali aliquid est Entis, aliquid i-
ipsa essentia, natura seu quidditas; non-Entis.
Id igitur à quo fit transitus in generatione, si-
tut, secundum se totum; falsum dicitur: si intel-
illū respectū non-Ens esse, secundū quem muta-
dicitur; quis autem ille respectus sit, cum jam
nihil addo.

S. 18. Illud quoq; obstat videtur, quod si
definitionem, Ens sit cui non repugnat existen-
tia individuæ, hujus sc. canis, albedinis &c.
existere. Non igitur natura & essentia extra ex-
merebitur. S. Illa natura individua aut potest
aut nō potest. Si non potest, nos eam Ens esse,
si potest, ut quidē nos arbitramur, cum Deus si-
principium; Entis nomen isti naturæ non dene-

S. 19. Plura adduci possent, quæ adducere
net. Illud in Coronide saltem declinabimus, q
alioquin non malitiosi in nos excitare posset. S
nis ante productionem Ens reale, æternum &
tuitur, multum pietati derogari videtur, eveni
Christianam humilitatem destrui. Sed &
velim, humilitatem Christianam ad sui tut
gere mendacio. Vilitas hominis non in
quod esse humanum ita à voluntate creatori
five realē five brutalem assequatur naturam, tam
homo; hoc Lector prudens vides etiam me nor-




Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. UTT

Patch Reference numbers on UTT

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

21

22

23

24

25

26

27

28

29

30

31

32

33

34

35

36

37

38

39

40

41

42

43

44

45

46

47

48

49

50

51

52

53

54

55

56

57

58

59

60

61

62

63

64

65

66

67

68

69

70

71

72

73

74

75

76

77

78

79

80

81

82

83

84

85

86

87

88

89

90

91

92

93

94

95

96

97

98

99

100

101

102

the scale towards document